uadunt: idem de foliis, fructibus, atq; radicibus existimare decet.

Aureus color quomodo absque auro fiat.

Licet etiam aureum colorem fingere absque auro: croco scilicet, auripigmento nitido ac speculari, & felle capræ, aut lucij piscis: quæ omnia in uitreo uase sub fimo equino conduntur. Aliter, ut refert Alesius Pedemontanus, luteum oui cum argento uiuo, & sale ammoniaco contrito, occluso ouo sub fimo sepeliuntur, duplicato cortice per quindecim dies. Dico uix hoc expertum credo, nam argentum uiuum grauitate ac tenuitate pertuso ouo emigrabit. Dubium tamen non est, ex similibus hæc & talia confici posse.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. *Liber XIIII.*

De Diuinatione occultiore.

DIVINATIO AN SIT, ET AN IN OMNIBVS.

CAP. LXVIII.

VTRVM quidem diuinatio sit, & quid sit, & in quibus, diu quæsitum est. Esse autem in quibusdam diuinationem, nemini dubium est: ueluti in his, in quibus futura tam certa sunt, quàm præsentia, ut quod morieris, quodq; crastina die Sol orietur. Neque enim

in solis immortalibus necessitas est, sed etiam mortalibus. Solem enim oriturum crastino tam certum est, quàm cùm illum oriri uidemus. Nec minùs certum est, moriturum eum qui nascitur? Sed differunt tamen hæc, quoniam quòd morieris, licet certũ sit, quando tamen morieris certum omninò esse non potest. At Solem oriturum, & quando orietur, ad amussim certissimum esse potest, ei qui hanc scientiam habuerit. Verùm forsan horum quispiam negabit esse diuinationem, sed potiùs eam scientiæ appellatione dignabitur. Ergo ea relicta, dicemus rursus diuinationem esse scilicet in quibusdam artibus, Medicina, Agricultura, Nautica, Physionomia, & Astrologia. Quinimò unaquaq; ars suam habet diuinandi rationem, ut architectura. Eadem enim est ratio eligendi, quæ & prædicendi. Vt si murus certa ratione construendus sit ad firmitatem, puta ut rectus sit, ubi defuerit rectitudo, poterit Architectus prædicere de ruina. Atque ita de ratione ponderis & magnitudinis columnarum, materia & crassitie fornicum. Sed tamen in illis quinque adeò manifesta est diuinandi ratio, ut hæ artes diuinæ quasi semper habitæ fuerint. Sed quanquam ita sit, cùm non uertatur hoc in dubium, de hoc genere diuinationis quæstio non est. Sit igitur quæstio de his, quæ extra causas sunt iam naturales, ueluti de duobus, qui inuicem sint pugnaturi, cumq; constet quosdam in iudicio sæpiùs errare, manifestum est, & alios si oppositum sentiant, diuinaturos. Natura uerò contrarijs semper utitur. Si igitur sunt qui sponte errant, erunt & qui diuinent. Hos igitur esse certum est, qui quodam naturali instinctu rectè de futuris sentiunt: non aliter, quàm & quidam qui semper sunt sani, alij qui parùm, aut nihil à uiperarum morsu lædunturat q; ita in alijs. Verũ hi nec semper tales sunt, nec in omnibus

Differentia necessarij in immortalibus, & in mortalib.

Ars quælibet suã habet diuinationem.

Quinq; artes maximè diuinæ.

nibus dubijs, sed in quibusdam, cùm omnia ad unguem præcidisse uidemur, in alijs nihil sani dicunt. Quoniam non arte id faciunt, sed natura quadam. Atq; de hoc etiam loco suo dicere oportunum erit. Nunc uerò cùm iam constet in tribus esse diuinationem, reliquum est, ut uideamus an aliqua sit occulta diuinandi ratio, quæ tamen artificiosæ sit similis? Nam oracula, & Sibyllæ aliquid plus profe-

Differentia oraculorũ ab his, qui fortuitò diuinant.

runt, quàm qui natura & fortuitò diuinant. Hi enim solùm quod futurum sit, aut non prædicunt: at Sybillæ aliquid addunt propter quod uel scire id, quale futurum sit, uidentur, uel ab aliqua illustriore uirtute didicisse. Argumenta est, quod Iustinus philosophus dicit in Admonitorio gentium. Rectè itaq; eos, quos fatidicos uocant, diuinos appellabimus. Neque enim hos frustrà tales esse dicemus, & diuinare afflatos, deoq; possessos, cùm multa, & magna uerè prænuncient, ignari eorum, quæ proferunt. Hæc Platonis uerba in Memnone sic interpretatur. Clarè, manifesteq; ad Sibyllæ respexit oracula. Neq; enim illa ueluti poëtæ faciunt, castigãdi, poliendiq;, quæ scripsisset, potestatem habuit metricæ diligentiæ debitam, sed afflatus tempore, quæ ad prædictionẽ spectabant, ædebat, quo cessante etiam memoria eorũ, quæ ædebantur simul cessabat. Et hoc fuit in causa, cur Sibyllinorum uersuum mensura custodita non fuerit. Ipsi enim dum Cumis essemus, id ipsum didicimus ab his, qui hæc enarrauerãt, qui & ostenderunt, ubi oracula cecinisset: & lenticulã pariter ex ære fabrefactam, ubi reliquiæ illius asseruarentur. Inter alia uerò plurima hoc retulerunt, quod à maioribus audiuerant, eos qui oracula excipiebant plurimùm ineruditos, à metri ratione multis in locis deuiasse: hancq; assignant causam, cur multi illius uersus mensura debita careant, tum uidelicet, quòd

ipso

ipso afflatu destituta, non recordaretur Sibylla eorum quæ prius effuderat, tum quòd notarij ob inscitiam & ruditatem à metri ratione exciderent. Ea propter Platonem Sibyllæ oracula contemplatum, de fatidicis illud protulisse constat, cùm & magna, & multa prænuntient eorum quæ loquuntur, nihil gnari eorum.

Simile huic esse uidetur quod & ibidẽ recitat de Ptolemæo rege qui Philadelphus nuncupabatur. Is enim cùm bibliothecam construere insignem cuperet, ubi maximam illorum copiam magnis pecunijs undequaq; inuestigatis exemplaribus congregasset, audiuit esse in Iudæorum archanis librum qui de principijs rerum ab omnibus alijs dissentiret. Cùm ergo exemplar accepisset, septuaginta uiros Hebræos legis, Græcíq; sermonis gnaros accersuit, illisq; dispositis in Pharo quæ turris est mari ex Aegypto inter angustias imminens: cùm existimaret aliqua latere, quæ Hebræi uel supplodderent, uel immutarent, utilia hæc esse, & admiratione digna persuasus: quæ opinio adhuc apud aliquos uiget, ut de nomine Dei magno, paruoq;, mẽsurisq; ac numeris, de quibus Thalmut quidam disseruit, singulos interpretes seorsum, ne simul colloqui possent, aut conuenire, in turri disposuit, cuius rei (ut dixi) adhuc Iustinus testis est, dicens: Vt autem ab omni perturbatione semoti citius interpretationis officio fungerentur, iussisse illis non in urbe, sed ab ea procul septem stadijs intra Pharum paruas exædificari domunculas interpretum numero pares: uniq; scilicet suam, ut eorum unusquisq; priuatim demandatum munus exequeretur. Astantibus uerò ministris præcepit, haberent quidem omnem in curandis illis diligentiã: prohiberent uerò ne inuicem conuenirent, ut & interpretatio exactior & consonantia simul comprehendi posse. Post-

Historia mira septuaginta interpretum.

quàm autem cognouit septuaginta uiros non solùm eadem sententia, sed etiam eisdem dictionibus usos: & nec uerbo quidem alternam consonantiam interrupisse, sed eadem omninò & de eisdem simul scripsisse: stupefactus ac constanter credens, interpretationem diuina uirtute confectam, omni quidem honore dignos interpretes tanquam Dei amicos intelligens, multis donis affectos in patriam redire iussit: libros autem illos diuinos, ut decebat, existimans illic reposuit. Hæc uobis gentiles uiri non fabulæ, non fictæ historiæ instar attulimus, sed quæ Phari accolæ nobis tanquam patria nuntiarunt, & quæ uidimus ipsi, illa protulimus. Etenim cùm in Alexandria essemus, casularum uestigia in Pharo, ueluti reliquias custodiri conspeximus. Verùm hæc mira, & falsa sunt: quandoquidem haud uerisimile sit, Regem si hoc experiri uoluisset, omnes unà collocasse, cùm multis modis custodes fallere in eodem loco positi potuissent. Sed ob id potius unà collocauit, ut communi consensu ardua quæq; melius uerterent. Beatus quoq; Hieronymus à Septuaginta interpretum sententia aliquibus in locis dissentire se fatetur, quæ si à diuino spiritu fuisset, non solùm ab ea dissentire stultum esset, sed etiam impium. Referunt etiam septuaginta duobus diebus negocium absolutum, statimq; cum donis remissos interpretes. Nec desunt qui ex unaquaq; tribu solùm petitos longè minore numero, quod uerò propius est, existimauerint. Extat & de Eleazari epistola. Sed à tanto miraculo iam abscedamus. Nam & si uerùm esset, alienum tamen esset à proposito, cùm nos quæramus an aliqua sit naturalis ratio diuinandi: nam de Dei potestate nemo dubitat. Expertus ego quandoq; sum, dum ab æmulis oppugnarer, multa uidisse per somnum quæ ab oraculis ueritate & claritate

parum

parum differrent. Alia instinctu quodam, ut ab imminentibus periculis liberarer.

Rursus alia sorte. Nuper cùm quidam ex his qui nomini meo parum amici sunt, polliceretur, si quid secreti haberem ad urinam retentam (habebam autem insigne) factum ut aduocarer, modò secretum uellem communicare: ut mos est hominum gloriæ & lucri cupiditate stimulante, hominis natura retrahente, anxius quid agerem Deo me commendaui. Et aperto sacro libro hæc uerborum series ex Ieremia, occurrit: Hæc dicit Dominus, Sic dies ad eum, Ecce quos ædificaui, ego destruo, & quos plantaui, ego euello, & uniuersam terrā hanc. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: Quia ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis ad quæcunque perrexeris. Multa talia ad amussim occurrerunt quærenti. Ob id igitur exterrefactus, cùm calamum sumpsissem ut ad illum scriberem, desij. Ac æger tertio die mortuus est. Ad quem si accessissem, maxima cum infamia secretum palàm æmulis meis, & in derisionem facturus eram. Sed tamen si à Deo, cur quandoque falsa? si ab alio, cur uera plerunque? Omne etiam opus nostrum contactu quodam fit, nisi à Deo sit: prudens enim ex hoc in illud fertur, & tandem usque in finem, atque ita futura præuidet, & de his deliberat. Quomodo igitur absque Deo diuinare contingit? Plutarchus enim in libro Cur oracula esse desierint, in uim terræ transfert diuinandi potestatem. Vt enim ex uino impetus intus, ita ex terra exhalatio animum circumfert: ut ex duobus motus ille fiat naturali & ipsius uaporis. Circumfertur igitur animus ex his duobus motibus, ut diuina prædicat. Impetus is uaporis si ualidior sit, & in carmina efferenda, & in

Experimentū authoris futura præsciendi.

ficura prædicenda animum impellit. Is tamen si à carminis scientia & eruditione remotus sit, uelut in Pythia & Sibylla, carmina absona & incondita, & pedibus non congruentibus profert. Si uerò impetus minor sit, solutam orationem solùm proferre cogit. Cùm uerò uis illa ab initio Apollinis, seu antri, maior esset ab initio, etiam oracula carminibus ædebantur. Itaq; non ea uis uaporis, aut Dei carmina condebat, sed cogebat lumine futurorum indito, proferre pro natura animæ puellæ uirginis, quæ Deo sacrata erat. Verùm quòd uapor prædicere cogat, carmina etiam condere, haud absonum est: nam & uinum idem facit ante perfectã ebrietatem: uerùm quòd uera, hoc adhuc dubitatione dignum, præsertim cùm non de seipsis, sed alijs Pythia oracula ædere soleret. Apollinem autem esse, cùm nondum andæmones sint, constitutum sit, causam dicere haud conuenit. In cœli uim igitur si referas, omnibus satisfacies. Nam & antro, & uirgini, quia uirgo futura erat Veneris cum Sole uis atq; Saturno dominabatur. Vnde & ueridicæ uates carmine oracula solebant ædere: & nomen uatis à diuinis ad poëtas translatum est: ita fit, ut cùm uis esset cœlestis, ut mutata uirgine ueritas maior, uel minor in oraculis reperiretur. Et mutatis etiam temporibus, ut tandem uis illa consenuerit. Eadem quoq; uirgo ex diuersa astrorum constitutione uariam in oraculis ædendis claritatem, ueritatem, & elegantiam carmnis ostenderet. Venerei igitur astri aptè collocati, uis hæc fuit. Et ut melius collocabatur in uirginis genesi & in antri initio, ita omnia rectius succedebant. Componebatur igitur oraculum ex tribus: ui terræ quæ agitabat mentem, & ui cœlesti in puella, & ui cœlesti in antro: Cùm enim in penitiora antri ingrediebatur, uapor ille in ectasim deducebat uigilantem. At ectasis uigilans, etiamsi

Oracula antiqua quomodo fierent.

casu

casu contingat, diuersa ostendit: quæ in Pythia ab astro in ueritatem, & ea quæ uentura erant, dirigebantur. Manifestum est igitur ex his, cur oracula plerunq; uera? & cur non semper? Et cur quandoq; clara, quandoq; obscura? Cur ab initio & multis post temporibus, carmine æderentur, tum ab eodem cœli ui scilicet Veneris astro, quod & poëtas, & diuinos facere soleat. Tum quia mos esset antiquis carmine, in cunctis uti: ueluti Orpheus, Hesiodus, Parmenides, qui philosophiam carminibus tradiderunt. Deniq; cur uis illa non repentè, sed sensim desierit, primò in solutam orationem, inde in absurda responsa degenerans. Quòd non solùm antri uis uetustate corrupta esset: sed mũdus qui tũc sub Anaëlis præfectura fuit, ad Sachielem transijt. Porrò ut Veneri Mars, ita Ioui Saturnus commiscebatur.

Lapides fu tura gestati præcognoscere faciũt

Ex his manifestum est lapides aliquos esse, qui sub lingua detenti, aut collo appensi, aut gestati in annulo, hominem ad diuinandum futura ac rectè præuidẽdum inducãt. Quinq; autem ad hoc sunt necessaria. Primùm ut homo is, natura talis sit. Sunt aũt tales ueridici, moderati, & sub astro Veneris nati. Secundùm, ut ea ætate & tempore astrũ illud dominetur. Cognoscitur autem id ex cogitationibus, si ueræ aut falsæ sint, tum etiam ex somnijs. Tertium, ut lapis is moueat enthusiasmum, id est, religionem in animo cientem. Quartum, ut genere congruat cum astro, ueritatem significante. Quintum, ut etiam ipse propriè in hoc sit efficax. Quòd & si eo astro dominante appendatur, forsan magis etiam proficiet. Ex hoc patet, quòd non semper uates uera dicit, nec ex æquo futura præuidet. Propterea dicunt dæmones esse fallaces, cùm ratio diuinandi quæ naturalis est, fallax sit. Illi uerò qui hæc obseruant, non ut coniecturas, sed ut certa decreta, in magna incidunt mala. Quod

Dæmones cur dicãtur fallaces.

cùm cuidam nobili qui operam talibus artibus dabat, dixissem, nec persuasissem, in discrimen uitæ, honoris, & fortunarum incidit, maleq; mulctatus est. Hinc soluitur ænigma, cur quidam quasi artibus futura prædicunt, cùm tamen per se non possint: nec tamen illæ sint artes, sed meræ nugæ & deliramenta quædam, ut in quarto de Sapientia ostensum est. Imò quanto exactior hæc inquisitio fuerit, tanto etiam prædictio certior, & clarior, uelut aliâs de Geomantia diximus. Causa est, quòd figuræ illæ & ratio mouent animam ad ueritatem dicendam, intentam atq; idoneam diligentius, uimq; illius ad amussim & exactè excutit, ut sit potius irritamentum, quàm ratio diuinandi. Indicio est quòd tunc ex diuersis figuris eadem ille fermè pronũtiabis, anima iam undequaq; sibi occasionem quærente, ad ueritatem prædicendam. Vt contrà alius quamuis eam rationem teneat, ex toto diuersa ab illis pronuntiabit, quoniam animam paratam non habet ad præuidendũ quæ futura sunt.

Iam igitur quod sit diuinatio de futuris, ostensum est. Et in quibus, scilicet ad ueritatem prædicendam paratis edocuimus. Quòd & Moses docuit, dicens: Verùm prophetam à falso, euentu dignosces. Quasi uellet ut uim in eo esse intelligemus, qui iam præstat quod pollicetur. Sed & id cognitum scilicet, quid sit: est enim coniectura uera de futuris, non certa ratione habita. Quæ enim certa ratione habetur, ars est aut prudentia. Sed & quomodo possit haberi, iam declaratum est. Quoniam per lapides aut supplicationes. In his enim uis diuina, in illis naturalis. Causam quoq; eius in astra retulimus, scilicet benignum Veneris sydus, quòd more facilium hominum arcana reuelat. Quomodo etiam fiat, disputatum est. Namque ex duplici motu syderis & naturali. Et ob id etiam cur in antris hæc uirtus uigeat,

geat, cur'q; labefactata sit, cur'q; ijdem homines & uates, & poëtæ fuerint, cur etiam multi auxilium à diuinatione, plerique malè abutentes in maxima detrimenta inciderint. Quamobrem etiam fallaces dæmones dici soleant, explicatum est. Quod'q; multi ex fallacibus artibus, & cur ueritatem præuideant. Reliquum est ut doceamus, cur qui diuinant, enthusiasmum patiuntur. Etenim si anima præuidere debet, cùm sensibus magis moueatur, oportet uim sensibilem obrui. Velut in nocte exiguos sonos exaudire magis licet, quàm in die, quòd die soni exigui à strepitu maiore obruantur. At quomodo sensus obrui poterunt manente ui animæ imbecilliore, cùm maiore obruta minorem obrui necesse sit? Nisi uelut in somno spiritus sensibiles quiescant, interiores moueantur. Ostensum enim est in his quæ de anima scripsimus, omnem nostram cognitionem cum motu spirituum fieri. Et ob id in profundissimo somno nihil penitus cognosci, sentiriue. At in enthusiasmo non dormit homo, sed uis exterior concutitur, manet motus ille astri qui uim animæ exuperat, cùm in alijs actionibus anima moueat & imperet, hic moueatur & uincatur, pareat'q; potentiori. Quo fit ut omnis diuinatio, sine propria cognitione necessariò fiat. Diuinamus per somnum, sed non id uidemus quod futurum est, uerùm id per quod futurum præsagimus. Quidam tamen uident & illud idem, sed iam homo alius factus est. In uniuersum homo uigilans & cognoscens non potest diuinare. Nã si diuinatio est præsensio rei incognitæ, secundum rationem & sensum: sensus autem obiecta solùm agnoscit, mẽs ratione percepta: si mens constans diuinaret, eadem cognosceret, atque non cognosceret. Quòd cùm esse non possit, sequitur ut qui præter artem uaticinatur, quòd

prædicit non cognoscat. Si igitur non cognoscit, aut dormit, aut enthusiasmum patitur. At dices, qui ratione quadã ut ex Geomantia prædicit, quòd prædicit intelligit, nec dormiens, nec enthusiasmum patiens. Respondeo, eos qui talia prædicunt, uti innituntur interpretationi, interpretationem quidem percipere, rem autem non percipere. Sed anima quasi figuræ illi aptatur & coæquatur, figuram sibi assimilans, non autem ipsa figuræ assimilatur. Ob id cum reciproca actione fungatur, decipitur, existimans se scire quod nescit. Prima enim actio quæ fit à uate, semper illi ignota est. Secundam ita esse, non est necesse. At prima actio est assimilatio animæ ad figuram. Hæc igitur ignota est. Nam & Sibyllæ carmina si quis post enthusiasmum ostendisset, nihil prohibebat, maximè si fuisset ingeniosa & erudita, scripta sua intelligere. Vt & somnia interpretem, somniorum postquàm experrectus fuerit. Quòd enim Sibylla patiebatur dum carmina proferret, quod somniorum interpres dum somniat, idem interpres figurarum dum illas describit, & dum animæ imagines figuris descriptis aptat. Duo enim sunt officia animæ in uate, quæ nisi quis rectè distinguat, in maximam deueniet confusionem. Prædictio futuri, quæ semper sine cognitione fit: & interpretatio prædictionis, quæ necessariò cum cognitione est. Non enim si non cognosceret, interpres esset. Ob id si quis figuram Geomantiæ describat absq; enthusiasmo, sed ratione utatur, aut puncta numerans, aut conatus eam felicem reddere, nihil boni prædicere seu ueri poterit. Ergo qualem uim habent Sibyllina carmina, talem & figuræ hæ sorte factæ, nisi quòd sunt obscuriores. Idem dico, cùm quis sortem à dum petit, Deo petit, ectasim & enthusiasmum, si rectè petere debet, pati necesse est.

Ex hac

Ex hoc liquet, omnes uates amentes esse: quoniam non fit diuinatio absq; enthusiasmo: in eo autem sensus & ratio ablegantur. Quamobrem tum ex frequenti usu, tum ex natura ad hoc parata, necesse est illos esse insanos: non ita interpretes & qui aliorum prædictiones scrutantur. Hi enim plerunque non solùm prudentes, sed plusquàm prudentes, scilicet dolosi.

Omnibus igitur explicatis, tum unà consentientibus, ut in his quæ rectè explicata sunt accidere solet, una sola relinquitur dubitatio: scilicet, quomodo astra in animam quod futurum est, maximè illi cui imprimitur alienum, imprimere possint? Quid enim habet astrum Veneris: ut mihi capituitatem urbis in Gallia ostendere debeat? deinde quomodo? cùm omnis nostra cognitio ex connexis fiat & præcedentibus cognitis, ut etiam Aristoteles in Analyticis scripsit. Præterea quomodo astra cùm nesciant ipsa, nos quæ nesciunt docere possunt? Neq; illud significare possunt per causas, cùm nondum causæ paratæ sint, sed ex ordine illorum hoc pendet. Ordo autem ad fatum, non ad astra pertinent. Nam astra ordine tenentur, nec illum ostendere possunt. Itaq; hoc antiquis difficilimum uisum est. Sed intellectus qui in astris est quod potestate est sempiterna, per illa in animam infundit: uelut in mortalibus animalia præsentiunt aëris mutationes antequàm fiant, & antequàm causæ illarum sint. Sunt enim causæ cum effectu semper, ut in Astronomicis demonstratum est. At dices meritò causarum præcedentium hoc fit. Verùm & illud contingit multo antequàm fiant. Gratia exempli cùm octaui orbis Aries Arieti noni cœpit appropinquari, id autem fuit per annos mille ante Christi natiuitatem, Sibylla potuit illud præuidere ex influxu astri Veneris, quod Virgilius cecinit,

Iam noua progenies cœlo demittitur alto,
Tu modò nascenti puero quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Siue illud Apollinis ut ferunt.

Θνητὸς ἴλω κατὰ σαρκὰ. σοφὸς τις ἀτάλισιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ χαλεπάων κειτῶν ὄπλοις σωματοθεὶς,
Γόμφοις τῷ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Et illud Sibyllæ,

—Νεκρῶν ἢ ἀνάστασις ἔσται
Καὶ χωλῶν δρόμος ἴσ' ὠκύς, καὶ κωφὸς ἀκούσῃ,
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' ἀλαλήσαντες.

Et rursus,

Εἰς ἀνόμους χάρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
Δώσουσι ἢ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀναγνοις,
Καὶ σόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα,
Δώσαι ἢ ἂς μαστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τό τε νῶτον.

Et alibi,

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μήτις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθε, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκανθινον.

Et id quoq;

Εἰς ἢ τὸ βρῶμα χολὴν, κ' ἂς δίψαν ὄξος ἔδωκαν
Τῶς ἀφιλοξενίης τούτων δέξουσι τραπέζαν.

Et ut generaliter dicam futura diuinare licet, estq; de illis coniectura, imò quasi scientia. Sed si ad modum cognoscendi conferatur, certissima scientia est. Si ad nos & euentus, fallax coniectura. Habet enim res hæc sic. Intellectus supremus, aut astri rector quale lumen, anima uatis quale speculum: si pura à motionibus fuerit in ea igitur relucebunt imagines futurorum, quæ ab inspicientibus comprehendunt ur, non ab ipsa anima: ut neque speculum imagines conci-

Modus quo diuinatio fit.

cipit,

cipit, sed ab illo resiliunt. Tot autem modis uariantur imagines, quot modis & specula. Nam disfracta, inæqualia, aspera, fœda, imagines imperfectas, disfractas, obliquas, & impuras reddunt. Ita fit, ut non omnes, neque semper reddere responsa ualeant. Redduntur autem persæpe consentanea petitioni, quandoq; uerò etiam quæsitis absona, & incongrua.

Sed quia nobis quispiam obijciet hæc legi nostræ aduersari, quæ talia responsa in dæmonas refert: nec putat licere consulere sortes, quod uaticinium dæmonis sit. Respondemus, nos naturalia sectari & principia rebus correspondentia. Lex enim Christi uerax est: qui in illa scripserunt, dum philosophi uideri uolunt, ridiculi fiunt. Quis enim ferat Lactantium Firmianum antipodas & terræ rotunditatem negãtem? Et tam frigidè quod summum est Dei opificium tractantem? Itaque & nostri sancti patres, dum uerba ad plebem se facere putant, longè plus legis nostræ authoritati detraxerunt, quàm addiderint. Vt etiam Augustinus in libris de ciuitate Dei, Tertulianus, Iustinus, Lactãtius. Quos omnes fermè Ecclesia suspectos habet. Nihil illorum scriptis magis fauit quàm Gentilium deorum absurditas: ubi ab his recessum est, nihil sani extra sacram scripturam dicunt, aut mores componendos. Nam philosophia non conuenit illorum figmentis. Præstat scire, unum Deum esse, authorem q; bonorum omnium, in cuius uirtute omnia fiunt, & in eius nomine quæcunque bona patrantur: etiam si quis erret, non peccat: neminem esse alium, cui quicquam debeamus, quem colamus, cui seruiamus. Hæc si pura mente seruentur, puros nos reddunt, & à peccato securos. Dæmonem non scio qui sit, non cognosco, non diligo, unum Deum adoro & illi soli seruio. Verùm non sunt hæc propa-

Modus quo diuinatio fit.

propalanda plebi aut rudibus: facilè enim concepta de dæmonibus opinione, & his artibus seruientes, quod Dei munus est, ad diabolum transferrent. Plus etiam quàm oporteret fidei uatibus adhibentes, innumera flagitia committerent. Ob hæc Dei scientia solùm apud illos sit, qui Deum uerè diligunt. Hi sunt qui contemptis diuitijs & honoribus, ueritatem etiam uitæ anteponendam existimant. Hæc sacræ scripturæ testimonijs innumeris comprobare possem, ni clariora doctis luce ipsa esse existimarem. Quamobrem ad utiliorem tractationem transire, oportunum existimo. Illud solùm animaduertens, uates in hoc decipi solùm posse, quòd mundam animam habere existiment & lumen diuinius, cùm non habeant. Ob id de seipsis multum pollicentes, solēt in maximos errores semetipsos, et alios qui eis credunt, adducere. Cæterùm si lumen habeant, errare illos omninò possibile non est. Ob hoc tamē periculum nunquam tentanda est diuinatio, cùm arte uel industria, uel prudentia certior de re ipsa fieri potes.

Cur uates falsa prædicant.

Genera igitur diuinandi nouem erunt. Mathematicum, quod ut in consuetis uile uidetur, puta quòd Sol cras oriatur, ita in remotis dignū admiratione: uelut si quis eclipsim futuram mille annis antè prænunciet. Artificiosum, ut in medicina, astrologia, physionomia, nautica, agricultura. Prodigiosum, ut ex partubus, extis, fulguribus, auium cantu, ostētis cœli, ac terræmotu, mugitu, aquarum inundatione, ac huiuscemodi. Præstigiosum, cùm quis dolo ueritatē exquirit, de quo nos in libris de Sapientia egimus, dum de galli cantu loqueremur. Sic alij supponunt dormituris magnetem, quasi ob id secreta reuelaturo, unde dum ille lapidem amouet, criminis reum se fatetur. Sed de his hactenus: de quinq; proprijs dicēdum est. Primus est diuinus, à Deo ēq; poscitur.

Vt quis delictū fateatur.

poſcitur. In omnibus autem diuinandi generibus hoc obſer uandum eſt, ut de his quæras ſolùm quæ naturali ratione, aut prudentia ſciri non poſſunt. Deinde, ut puro corde puráq; mente id agas. Præterea, ne cibis & potibus ſis plenus. Et ne tentandi, ſed ueritatem ſciendi cauſa tantùm inquiras. In diuino autem modo tria alia ſunt neceſſaria: ut res ſit bona & magna, & tu odium remiſeris omne, niſi ſi cui ob iniuſtitiam meritò debeatur. Mentem igitur ad Deum dirigens & illi te commendans, ſacræ paginæ libros aperies, & quod fortuna occurrerit perlegas, & diligenter interpretaberis. Si tamen abſonum ſit omninò à quæſito, ſcias non expedire tibi talem diuinationem. Prohiberiq; meritò ne id ſcias. Secundus modus eſt cùm ſupplicatione id agis, ut per ſomnium id uideas quod quæris. Actum eſt de hoc diffusè in libris de Somnijs. Tertius eſt, ut animam pueri, uel prægnantis ad hoc impuleris. Nam (ut dixi) uicti ſenſus pueri, utpote imbecilles tum à precibus, tum animæ tuæ motu, relinquunt animam pueri puram, in qua relucent intellectus ſupremi decreta, uideteq; anima in urceo aquæ, uel futurũ, uel præſens, aut præteritum. Quartus eſt, cùm nos ipſi uidemus per lapides ſuſpenſos, quorum uis eſt ciere motũ in anima, ſenſus autem hebetare. Vbi enim pura fuerit anima, ſtatim recipit imagines futurorum à ſuprema mente quaſi ſpeculũ. Quintus eſt per ingreſſum antri, ut antea dictum eſt de Trophonio.

Quæ uati ſint obſeruanda.

Verùm dicet quiſpiam quid prodeſt hæc diuinatio? Si enim falſa fuerit, nihil abſurdius. Si uera & de futuro malo, nihil affert commodi, ſed ſolùm metum & triſtitiam, cùm non poſsit quod futurum eſt auerti. Si futuri boni, omninò etiam ſi neſciamus eueniet, ut nihil ob id commodi ſentiamus. Reſpondeo, non ut de Aſtrologica prædictione, quòd

Diuinatio in quibus utilis.

quòd coniecturalis sit, posit'q mutari, cùm naturalis existiat. Hæc enim non mutabilis est, sed aut ex toto uera, uel ex toto falsa, si lumen cœleste non affuerit. Nam cœlestis sapientia errare non potest, nec prouidentia falli. Sed utilis est hæc scientia pro his quæ succedunt. Velut si quis sciat se moriturum: poterit condere testamentum, credita sua recuperare: quæ persoluit fide publica, dum illi negare non audent, declarare soluta esse. Si dignitas habenda, lætius interim uiuet: aduersis minus discruciabitur: ad aliam maiorem dignitatem se præparabit. Malum seruum ablegabit, si sciuerit illi fecisse furtum. Nam tametsi diuinatio sit de futuris propriè, est tamen etiam de præsentibus atq; præteritis cùm occulta fuerint. Sic cùm ego monitus essem per somnum, ut hos libros de Rerum uarietate conscriberem, sciēs futurum esse ut perficerem, audaēter rem sum aggressus: nec timui pericula intermedia, cum toties ab hoc munere sim impeditus. Quæ enim futura sunt, ut sint, necessarium est. Cùm enim multos libros scripserim, ut etiam in libello de Libris proprijs, solùm de libris his atque de Subtilitate, ut eos conscriberem sum admonitus. Quòd si quis dicat & succedētia etiam esse necessaria, ut'q eueniant cogi, quamobrem diuinationem nihil profuturam. Respondemus, talia necessariò successura, non simpliciter, sed quia præcedentia sciuntur. Sicut quod Lucullus futurus esset felix, quia diuitias maximas paraturus. At de hoc abundè in Hecatoncephalo dictum est. Nunc de his tantùm dixisse sufficiat. Verùm quæ & qualia sint adhibenda ad diuinationem, non est præsentis negocij tractare, sed ad librum secretorum pertinet. Dicentur tamen & aliqua inferius. An uerò impij & dolosi diuinationis participes esse possint, dubitandum est; uidetur autem quòd sic. Nam & Caiphas & Sylla

Author per somnũ monitus ut libros de Rerum uarietate cōscriberet.

Impij ex Deo diuinare non possunt.

Sylla diuinarunt. Quomodo igitur improbis commune aliquid cum Deo esse potest? Verùm (ut dixi) duplex est diuinatio: de bono, hoc Dei munus est, nec improbis conuenire potest: & de malo, hoc Deo non conuenit, sed fit tamen cœlo medio & ab intellectu regente. Quòd ergo malorum est, nequaquam ad Deum pertinere potest: quod autem bonorum, etiam ad malos.

Socratis dęmonium.

Cæterùm nec temerè, nec frequenter, nec paruis de rebus, nec bis de eadem re, nec nisi coactus, ac consultò, ad diuinãdum accedes, statum proprium prius moderatus. Vnde nil mirum est, Socratem dicere solitũ quòd dæmonium haberet: diuinare enim poterat semper, cùm animam haberet à sceleribus ac perturbationibus mundam, corpus autem sobrium à cibis.

Vtrum aũt ut cibi quidam perturbant mentem & à diuinatione auertunt, uelut cepe, caules, lentes, fabæ, uinum: ita alij eam purgent & ad diuinationem præparent, non satis mihi compertum est. Medicamenta quidẽ ut helleborus, & agaricus, nihil prohibet: ciborum quoq; usum, ut ad reliqua, ita ad hæc conducere posse existimo.

Coruorum multitudo maximè ignoti generis, excidiũ urbis significat.

Verùm cùm de ostentis agendum sit, forsan quis meritò dubitabit, quoniã cùm quæ eueniunt, à proprijs causis pendeant, non poterit quod futurum est ex ostenti causis pendere, neque ex ipso ostento dignosci aut præuideri. Velut si coruorum multitudo maximè ignoti generis appareat, uelisq; ex ea excidium urbis præsagire, oportet excidium urbis ex causa illa pendere, quæ coruos eò transuolare impulit. Clariore etiam utar exemplo, si biceps uitulus impotentiam dominationis significat, quomodo id infortunium ex uituli bicipitis causa pendere poterit, cùm propriam habeat? Et maximè cùm philosophi fateantur hoc monstrum

strum ex materiæ impedimento atq; naturæ errore contingere. Dicimus ergo, non ex materiæ inepta mole id contingere, sed ex motu inordinato hæc fieri, qui à causis contrarijs peruertitur: neq; enim solùm impedimentum facit monstrum, sed naturalem tantùm processum impedit: ut in fœtibus abortus, in motibus animaliũ, abigat à consueto loco. Videtur ergo causa Deus aliquis, id est, anima cœli, dæmone lõgè nobilior atq; potentior, ministerq; altissimi. Et ut impedimẽta ex minimis in minimis uelut uitulo, ita in mediocrib. ex mediocribus uelut in ciuitate, quæ impedimẽta sunt Deorũ atq; maxima: nõ sibi aduersantiũ (hoc enim nephas) sed diuerso ordine operantium, ut hæc inferiora numinis uim illam per multos gradus ab altissimo immissam, haud plenè & liberaliter excipiant: atq; per illam more solito seruentur. Quamobrem & hæc post ingentia peccata sequi solent: nam ab eadem numinis diminutione, afflatus & flagitia exuberant, & destituta inferior natura periclitatur. Sũt peccata atq; flagitia, contemptus altissimi, peruersio omnis iusti, extrema socordia, superbia cùm in nostris uiribus confidimus, seditioq; quæ perfidiæ iuncta est. Cur uerò hæc nõ semper? in Arcanis edocuimus. Vnum nunc sat sit, semper hæc euenire, id est nũquam non euenire: at si semper ita intelligas, quasi statim à scelere, si semper hæc euenirent, necessariò nunquam euenirent, quòd sibi ipsi repugnat: nullum igitur ostentum inane, sed paruitas lapsus à naturali ordine, aut tarditas euentus, frustrationis opinionem iniicere frequenter solent. Verùm hæc disputatio minimè huic loco necessaria est.

Cur humana periclitentur.

OSTEN-

OSTENTA IGNEA.

CAPVT LXIX.

QVÆ quidem in aëre uidentur, flammæ, stellæq; cadentes atq; incendia, si omnia enarrare uoluero, integer à me liber conscribendus erit: sed solùm sufficiat illorum primas species definire: inde uerò mirabilia subijcere atque omnium causas. Quandoq; igitur totum ardere cœlum uidetur, quandoque autem pars, & quandoque ignis quantitas ferri per aërem uidetur: atque ea diuersis formis, trabis, gladij, hastæ, clypei, hominis, leonis, turris, nauis, crucis, aciei, lampadis, iaculi, facis, serpentis: & ut uno uerbo dicam, tot figuris, quot in nubibus persæpè, & absque miraculo spectasti. Frequentior omnibus est stella, quam ego sæpiùs Papiæ proximam cadere uidi. Sunt autem stellæ simillimæ his, quæ in cœlo consistunt, candidæ, lucentes, rotundæ, discurrẽtes primùm, inde pleræque ex his descendunt. Post has frequentior est candela: sed hæc in mari nauibus tempore tempestatis: in cœlo autem faces. Frequentiora omnibus sunt fulgetra, quæ in Italia uesperi per æstatem centies una die spectantur: sed hæc ignes non sunt, sed soli quidam splendores, uelut cùm fulgurat. Sunt & differentiæ primùm à tempore: mirabiliora enim sunt, quæ die apparent, quàm quæ noctu, uelut cùm lampades, & faces meridie ardere Germanico Cæsare munus gladiatorium exhibente, & iacula bello Mutinensi uisa sunt: rursus quædam moueri, quædam quiescere uidentur, hæc autem terribiliora. Rariora autem, ut uno uerbo dicam, quæcunque admirabiliora: & quæcunque admirabiliora, terribiliora. Raritas enim admira-

Species eorum, quæ in cœlo uidẽtur.

tionem parit, admiratio terrorem. Præterea quædam rubra, ut torres: quædam candida, ut stellarum pleræq; quæ flammam, ut illa prunam emittunt. Sunt & pleraq; ex his altiora, quasi in cœlo uideantur, alia humiliora uelut in nubibus, alia humillima, quæ circa terram, unde capræ saltantes, & ignes fatui, qui equum præcedere solent: alias uero, sed rarius sequi. Refert Mizaldus, quod à pluribus etiã uisum est, quandoq; infantis effigiem semouentis hos præbere, qui præter id, quod equos terreant, etiam homines perturbant, adeò ut nonnunquam adducant in præcipitia, & fluuios, aut paludes. Eoq; præsertim quòd iuxta cœmiteria, patibula, templaq; soleant uideri. Quis qui naturales causas non norit, non admiretur ignem hunc præcedere sequentes, stareq; cum stantibus? Et quacunq; circumaguntur, habere semper hoc ostentum ante oculos, quasi equi ductorem, atq; hominis equo insidentis aurigam? Contingit, ut præter id dum crepitant, hi ignes pariant inconditas etiam uoces quasdam atq; humanis simillimas, unde credulis quibusdam persuasum est, animas defunctorum his ignibus circumdatas expiari atq; purgari. Sed non esse propria humanis corporibus hæc indicat, quod etiam in coquinis & cloacis ubiq; sordes animalium occisorum expurgant, talia uideri soleant. Imponunt tamen talia multis, & terrent non immeritò pauidos. Sunt etiam ignes hærentes, alij uolitantes, ut in castris sæpiùs hastis, aut pilis militum hæserint. Quidam sunt magis naturales, ut qui in montibus erumpunt, quiq; è lignis putridis emicant. Liquet autem ex hoc, non omnes ignes, qui noctu uidentur, ueros esse ignes, sed plurimos habere speciem sine substantia atque calore.

Ignes ambulones.

Ignes sonori, seu crepitãtes.

Ignes hærentes.

Est & in hoc genere etiam fulgurum obseruatio adeò exqui-

exquisita, ut Plinius dicat eò processisse diligentiam, ut etiam numerum dierum Hetrusci prædicerent. Id eò creditum existimo, quòd antequam Augustus obierit, decidens fulmen sustulerit primam literam Cæsar, ut æsar relictum sit. Porrò aruspices intra centum dies Augustum moriturum hac ratione prædixerunt. Hetrusca enim lingua, æsar deum significat. C autem apud Romanos centum. Centesimo die deum dici debere Cæsarem, quod nulli uiuentium conuenire poterat, argumentum clarissimum fuit eum illa die interiturum. Quòd cùm euenerit, dubitationem non leuem affert, an dæmonis fuerit præstigium, an sors, an omninò naturali ratione factum sit: Fulgur sepulchrum tangens, immortalem gloriam decernere creditur. Proditum est à Plutarcho, nemini præterquam Lycurgo, & Euripini id contigisse. Nostra ætate autem referunt lectum, non sepulchrum, Ruino Iurisconsulto tactum post obitum. Tanguntur excelsa à fulminibus, atque ea fieri solent uiris magnis. Præterea his in obitus tempore sol accedit testimonio, qui gloriam significat. Sol enim, ignis significator est.

Fulgurum mira.

Fulgur sepulchrum tangens, immortalem gloriam decernere creditur.

Si fulmen decidat, arboremq; occidat, aut ædificium diruat, portendit iacturam domino loci: quòd si duo fuerint, geminabitur malum. Antiqui uerò Hetrusci insita arbore percussa, tot augurabantur fulminibus quoto numero arbor insitiones haberet.

Fulgurum decreta.

Sed ut ad ignes rursus redeam: Iuliano Imperatori pridie, quàm occideretur à Persis, cùm nocte surrexisset ad sacrificium, ignem è cælo descendere uidit. Responderunt interroganti uates, ut uel saltem in diem alteram discessum differret: quod ille non tam contempsit, quàm facere coactus est deficientibus alimentis, frumentum enim

Ignis è cælo descendes, cum mala denunciet.

naufragio perierat. Verùm ignis è cœlo cadens semper clades, & mala maxima prænuntiat, seu quod ab eisdem causis proueniat, seu quod ex corruptis uaporibus factus, ubi quiete opus est exercitui, urget, & inficit, uel quia mentes sensus moueant. Satis est nunquam in irritum descendere. An forsan hominum istud contingit diligentia, quæ infortunia ad miracula referunt: aut ad dæmonas?

Cometes in die.

Cometes nostris in regionibus, ut aliàs dictum est, in die uisus pro portento habetur. At uerò referunt Hispani iuxta Brasiliam uisum cometem mense Iulio, qui decem diebus tam die, quàm noctu cum radijs perpetuò emicuit. Itaq; non eadem omnibus in locis eodem modo se habent, prodigio tamen & ipsis exitiali fuit, submersis quatuor nauibus, cæterisq; dispersis ob tempestatem, uidentur autem in die, uel ob aëris subtilitatem, uel quia splendor colligitur, uel quia dies obscura est, uel quia lux ipsa uehemens.

Ignis scintillæ quid significent.

Cuidam amico nostro, cuius nomen propter dignitatem silentio prætereo, cùm domum uenisset, hora prima noctis exacta. In pallij consueta depositione, scintillæ à dorso petasi sparsim prosilierunt, iterumq; reposito pallio dum amoueretur, denuò eruperunt. Vnde geminato timore perculsus est. Infra quindecim dies accusatus ueneficij ab inimicis, & quæsitus, ut occideretur, uoluntarium suscepit amicorum consilio exilium. Hæc non omninò contra naturam existimo, quandoquidem nulla diuinitate fiunt, nec tamen ad causas naturales traducere noui: posset quidem lignum exiccatum faginum, ignem producere, etiam in die: nam tunc meridies erat: de petaso autem difficile est reddere rationem.

Alius amicus & fide dignus, historiam mihi talem narrauit

rauit puero, narrabat & omnibus: sæpiùs quoq; eadẽ nar- Historia
rantem audiui, nec sibi discordem. Quid plura? cùm non horrenda.
esset causa cur mentiretur, cùm esset uir probus, cùm spe-
ctrum pestis statim subsecuta sit, quæ omnes oppidi eius ac-
colas fermè peremit, non est ut mentiri illum credamus: ui-
uit enim adhuc, quanquã res iam annis ab hinc penè qua-
draginta acciderit. Redibat Mediolano Gallaratũ annos
natus circiter uiginti, & erat iam nox, sed cœlũ atrum ob-
scuriores tenebras faciebat, pluebatq; leniter, & ipse è re-
gione oppidi alterius Busti quatuor millia passuum dista-
bat adhuc à Gallarato, uisus est sensim uidere splendorem,
uocesq; bubulcorum à sinistro latere augeri, ac breui cùm
sepes media esset, iam uidet currum totum flamma conte-
ctum. uox bubulcorum erat, caue, caue: quo ostento terri-
tus, calcaria equo addit, sed seu curreret, seu citato pede
progrederetur, semper illi è regione currus adesse uideba-
tur: ipse uerò cùm interim supplicationes ad Deum recita-
ret, tandem post horæ fermè spatium peruenit ad Eccle-
siam, seu sacram ædem beati Laurentij, quæ extra portam
oppidi est, atq; ibi sub terra omnia mergi uisa sunt, currus,
boues, bubulci, flamma. Quid igitur futurum esset, uox
declarabat. Cæterùm uidisse constat. Vtrum uerò flammã
tantùm uiderit, uocemq; casu similem audierit, ipse uerò
currum, bubulcosq; superaddiderit, nolim discutere: metus
enim, cogitatio, ambitio, solent talia augere. Potuit & ua-
por ater cogitationem ita peruertere, ut uidere ac audire
talia se existimauerit: uelut in ectasi, in somno, morbisq:
potest enim principalis spiritus ita affici, uelut ægrotante
corpore, non tamen ipso affecto, uelut contingit pestis tem-
pore, aut parùm antè. Significat autem ignis pestem, & se-
ditiones, ac desolationes: nam & Gallaratæ non solùm pe-

Historia alia ignis prospera portendentis.

stem sed multa alia mala perpessi sunt. Verùm & ignis miseris & exulibus, quandoq; salutis ac bonæ fortunæ signum est. Contigit cuidam exilio damnato, ut soror, & mater ignem uiderent per cubiculum uagantem, uelut crabrones facere solent: erat autem media nox, & tenebræ: inde lucernam extinctam accendit, tantumq; lucis enituit, ut media dies uideretur. quo ostento perculsæ mulieres, mane facto ad sacerdotem statim se contulerunt, narrataq; historia ille cùm esset minimè ignauus aut stupidus, iussit mulieres bono animo esse, nam exulem suum citò reuersurum, & ad magnum deinceps fortunæ statum peruenturum: atque res ita ad unguem cessit: liberatus enim breui ab exilio, mutataq; fortuna, ex summa inopia, & humillima, etiam natalium conditione, ad principatum peruenit, perseuerauitq; usq; ad mortem, cuius soror adhuc superstes est. Rara autem sunt talia ostenta, cùm etiam euentus tales non sint frequentes: accensa autem lucerna semper ut etiam restituta arbor, pro bono omine accipienda sunt.

Sepulchralis splēdor.

Cæterùm ignis ille seu splendor, qui ex urnis antiquis emicare solet, non pro ostento habendus est, sed laudanda solertia maiorum. constat enim in uitreis urceis aquam, in urnis puluerem inuentum: quid horũ splendorem illum emitteret, nondum compertum. Verisimile tamen est potiùs aquam, quoniam in urna puluis cinis erat, qui rogo superfuit, aquam metallicam, aut certi fontis fuisse existimandum est: quæ tamen obscuro loco reposita, splendorem illum minimè retinuit: an forsan acies oculorum id sibi, ob nouitatem ac spem confinxit. Effossa autem sunt hæc meæ ætate apud ædem beatæ Euphæmiæ, urcei longi atq; angusti, in quibus aqua continebatur.

Apparuit nuper sub initio Martij, anni M. D. LVI. come

tes stella, æqualis fermè Lunæ dimidio, cum crinibus non longis, nec constantibus, sed uelut in incendijs rutilantibus, ut in tædis, dum uentus flat. Fusca erat & rubens, ac turbida: quinta die Martij erat iuxta medium Libræ, cùm illam primùm uidimus: nona uerò in ipso mundi polo: antea sexaginta partibus ab æquinoctij circulo declinabat: mota igitur est toto quatriduo septuaginta quinq; partibus ab oriente in occidentem: & triginta à Meridie in Septentrionem. Tum uerò assiduè pluit, & eũ desijt pluuia, non apparebat. Referunt tamen in Germania apparuisse usque ad medium Aprilis. A fine Martij subsequuta est perpetua serenitas usque ad uigesimam septimam Aprilis, & tantus calor, ut Iunio mensi similis esset temporis constitutio. Significat autem disidia circa leges, propter colorem, crines, & motum: & etiam morbos pestiferos. Atque in Germania, & Pannonia, Asiáq; ac Græcia, apudq; boreales nationes.

Cometæ descriptio.

Fulgura autem exhalationem sulphuream ostendunt: inde mores huic similes, proportioneq; respondentes. Indicio sunt montes, qui his abundant. Videntur autem quid diuinum habere fulgura, seu consensu quodam naturaliũ, seu quod aliqua meliore, quàm elementorum potestate dirigantur, seu quod iuxta quod frequentiùs uerum esset futurum, à dæmone notitia apud nos peruenerit. Quæ ergo damnum afferunt, omnia mala: quæ splendorem citra iacturam, fœlicitatem: quæ neutrum, iuxta proprietatem rei, & maximè quæ nomine, aut imagine, aut possessione conueniat.

Fulgurũ significatio.

OSTENTA QVÆ IN AERE.

CAPVT LXX.

NVLLA sunt certiora ostenta his, quæ in aëre accidunt, quod ab omnibus uideantur, nec ambiguos habent successus, quod à maximis causis proficiscantur. Eas tamen scire arduum est. Quicunq; in fortunam referunt, ingrati Deo uidentur: quòd cùm cœlestia tanto ordine tam perenni gubernari cernant, hæc casui tribuere uelint. Legimus apud Herodianum Commodi temporibus stellas per totum diem apparuisse. Quasdam etiam in longum productas, medio quasi aëre suspensas uideri. Quod argumentum erat non accensæ, sed quasi tersæ, & coactæ nubis. Accensa enim nocte uidetur, die cùm procul absit, euanescit. Ni forsan, ut aliàs dictum est, astrum sit. Astrum non in longum extenditur. Sequuta est magna strages Parthorum Commodi dolo, non uirtute. Inde bella ciuilia oppressis anni spacio, quinque Cæsaribus, bello tribus Didio Iuliano, Pescenio Nigro, Albino: duobus fraude, Commodo ipso & Pertinace.

Stellæ in die.

Temporibus quoque Constantij ab ortu Solis ad meridiem usque in orientem tenebræ fuerunt, & stellæ apparuêre, sub exitu Sol ueluti luna primò cornutus, inde medius emersit. Ex quo deliquium fuisse haud dubium est. Cùm uerò deliquium Solis ut à Ptolemæo ostensum, solùm momento temporis perduret: totum uerò uix excedat unquam duas horas, illud quærendum ergo erit, quônam pacto à mane ad meridiem extendi potuerit: quomodóq; tam diu stellæ uideri, quas par est non uideri, nisi prorsus obscurato sole: hoc autem (ut dixi) solùm momento perduratur.

Quomodo stellę in die uideri generaliter possint?

Igitur

Igitur causam accipe: Diximus aliàs de Venere & Mercurio quocunq; anni tempore: at nunc non de quocunq; anni tempore, sed in Solis defectu præsertim per lunam facto, & de omnibus stellis clarioribus, ut sunt Iupiter, utraq; canicula, arcturus, pleiades, hyades, orionis cingulus, & pes, aliæq; consimiles sermo habetur. Manifestum est autem primùm, quòd solùm in una regione id contingere potest: dico tam obscuritas, quàm stellarum uisio: neq; enim sol ob immensam magnitudinem, & rationem radiorum ad centrũ uenientium tegi potest, uniuersæq; terræ tenebras inducere, neque per lunam, neque multominùs per aliquam nebulam. Sed si contingat, pro maiore miraculo habendum, maioreq; prodigio, quàm si mortuus ab hinc multis iam annis resurgat. Porrò in una tantùm regione id fieri neq; impossibile, neq; alienum à natura, præsertim deliquij tempore. Igitur cùm in oriente fit deliquium generale Solis, aër uerò fuerit purissimus, uidentur stellæ nobiliores, itemq; proximiores. Purus autem est aër in Perside & uicinis regionibus, rarò autem in occidente hoc euenit. Quòd si præter hoc pars orientis nebula crassiore obducta fuerit, quod in eclipsi sæpè Solis euenit, producitur stellarum uisio ex tertia parte horæ usq; in horam, horasúe. Videtur autem hoc tempus longè maius quàm sit, ob admirationem & timorem. Cùm igitur hoc contigerit attenuato nimium aëre, seditiones, bella, proditiones, clades, direptionesq; urbium consequi solent.

Solẽ obscurari, tenebrasúe toti terræ obducí eodẽ momento impossibile est.

Lapides pluisse olim Romæ, ac prope, tam certum est, ut nemo inter miracula id referre uelit. Sunt tamen qui causam quærãt. Nuper accepi inter Cicuic & Quiuira prouincias Hispaniæ nouæ in India ubi maxima planities est, pluisse lapides, málorũ cotoneorum magnitudine. Id autẽ con-

Lapidũ casus quid significet.

tingere ex causis naturalibus aliâs docuimus: quoniam tamen hæ causæ superioribus coniunctæ sunt, dira omina sunt & maximas calamitates afferunt, ostendunt q̃ hominum corda lapidea, & crudelitatem ac feritatem.

Corona circa Solem.

Vidimus obequitãtes anno M.D.XXVIII, octaua Iunij cœli sereno aream circa Solem, iridis similitudine non obscuram, quam & pluribus tunc hominibus ostendimus: uidimus & post hæc iterum eo anno, quo Carolus Cæsar est coronatus: siccitates nunciat.

Stellæ in die.

Stellas quoque die sereno bis uidisse Mediolani me memini cum tota ciuitate: alteram splendidissimam anno M.D.XI, cũ pulsi sunt Galli: aliam anno M.D.XXXV, subobscuram, cùm mortuus est Franciscus Sfortia secundus. Sed & tunc quòd sine filijs mortuus fuerit, mutatus est princeps, transijt q̃ in Carolum imperatorem ciuitatis regnum, uariato rerum statu.

Fulminis ictum admirabilis.

Illud etiam prodigiosum, quod anno M.D.XXI, accidit in arce: disiecta enim fulmine adeò uehemẽti est, ut C.XIII, homines in ea perierint, mutata rerum facies, & portarum uectes fracti, aut flexi, quanquam maximi: & quingentis etiam passibus ab ea distantes ceciderunt homines ciuitatis, qui tum stabant: porrò hoc accidit uigesimaoctaua Iunij, pulsi sunt Galli mense Octobris proximo.

Soles tres.

Vidi quoq̃ anno M.D.XXXII, die undecima Aprilis, hora diei secunda, tres soles conspicuos ac splendidos, Venetijs, cum duabus iridibus, non cum capitibus descendentibus, sed Soli oppositis, quorum prima eitò desijt, altera in medio cœli parua constitit, horarum duarum, & plus spacio, altera uelut corona, altera ut semicirculus plano terræ æquidistans præter aliorum morem: soles uerò ipsi pellucidi, ut intueri nequaquam possent, sicut nec qui in medio erat:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1020-7 DFG

rat: qui ergo ad Solis leuam habebatur, ualdè lucidior, maiorq; ac splendidior, uisus est uersus austrum: qui uerò ad dextram, boream uersus spectabat, minor nec tam splendens, hunc tamen in fine magis perseuerantem, auctumq; animaduertimus. Sic tamen ut ambo simul desijsse uisi sint, uterq; tamen maximos radios per cœlum, & ad terram extendebant, colore omnium ad rubedinem declinante. Apparuerunt & aliàs, maximè autem post obitũ Iulij Cæsaris, unde triumuiratus secutus est, similiter & Q. Minutio, & Q. Martio consulibus. M. Antonio, & L. Planco, & Claudio principe consule. Atq; ita series tale ostentum obseruatum est. Semper autẽ pluuias & diuisiones ostendit: triumuiratus etiam, cũm omnes radijs illustres fuerint, magis autem ostendunt pluuias occidentes. Nam & gemini frequentiores sunt, & imbres ostendunt, ueluti anno M.D.XXVIII, uigesimaoctaua die Maij, & in mense Februario anni M.D.XXXIII. Nunquam tamen plures tribus obseruatum est apparuisse. Hunc triumuiratum nunc exercent Carolus quintus, Imperator: Henricus, Gallorum rex: Sultanus Sulimanus Turcarum, & Aegypti rex. Hæc igitur à me uisa plusquam MM testibus spectantibus: nam ædes beati Marci aream compleuerant ciues.

Venti generaliter, motus & turbationes prænunciant. Et ob id, seditiones, & proditiones. Si cõsimiles naturæ temporis fuerint, erunt & consueta: sin contrarij, insueta. Calidi quidem, uelut hodie, qui dies est tertius à calendis Ianuarij anni salutis M.D.LVI. quod luna ex leone Marti opponatur, flauit Eurus adeò calidus, ut qui occurreret, in æstuariũ ingredi uideretur: pariunt morbos primùm, iuxta illud Hippocratis, Austri auditum hebetantes, caput grauantes, caliginosi, & corpora dissoluentes: aeres autem ho- Ventorum significata.

homines, & pestem, & incendia minantur: uelut frigidi calido anni tempore, morbos contrarios, & penuriam, paupertatem, sterilitatem, urbium obsidiones. Quòd si arbores, & domos pauperum euertant, ac tegulas asportent, damna in proceribus arbores magnæ significabunt, turres etiam & domus prætoriæ: casæ rusticæ in humilibus ac rusticis, tegulæ in mediocris conditionis hominibus. Quòd si absque iactura acres sint, perseuerentq? Inter nobilissima, quæ in aëre ostenta uidentur, sunt cometæ, de quibus aliàs dictum est: Earum tamen differentiæ plurimæ sunt: quædam enim pogoniæ quasi barbæ, & iaculi, & xiphias ensi similis, quæ bella propriè minatur: discus rotunda, ceratias cornu, lampadias faœem refert: hippus equum, pithus dolium: forma ut horribilior fuerit, eò maiora mala minatur. Colos quoque rubens ac splendidus, uel liuidus aut niger, hæ enim pessimæ: argentea autem & candicans minùs formidabilis. Diuturnæ quoq; & plures, & magnæ, contrarijs sunt deteriores, & quæ frequentant: & hyeme, quàm æstate: & diurnæ quò rariores, eò maius exitium portendunt. Et iuxta Saturnum, pestem & proditiones, & sterilitatem: circa Iouem, legum mutationem, mortem pontificum: iuxta Martem, bella: iuxta Solem, toti orbi magnam cladem: iuxta lunam, inundationes, aliquando siccitates: iuxta Venerem, principum mortem, & nobilium: iuxta Mercurium, uaria mala & multa: iuxta lyram, deliciosis, & nobilibus: iuxta coronam, & in tropicis, æquinoctijsq; regum interitum: iuxta serpentes, & in scorpione, pestem: iuxta trigonum, perniciem ingeniorum: in fixis signis, terræmotus: iuxta caput Gorgonis & armatas figuras, bella: iuxta Andromedam & Cassiopeam, seruitutes, & desolationes; iuxta Eridanum, & Argo, tempestates, & inunda-

Cometarũ historiæ.

undationes. Cum deliquijs, & terræmotu, horrendæ & miserabiles. Mobiles ualdè, siccitates, & uentos pariunt: fixæ, diuturniora mala. Cuspis etiam locum ostendit huic malo obnoxium.

Aëris ostenta in borealibus regionibus, & mira magis, & frequentiùs apparent. Sed ut rem faciliùs absoluam, uerbis ipsiusmet Olai utar: sunt autem hæc: Solent quando'q; etiam circuli uersus Septentrionem altis niuibus terram tegentibus, circa uernum æquinoctium apparere, tali uidelicet situ, ut amplissimus circulus per orizontē sparsus totaliter albus est, ita & tres orbiculi, in eius superficie diuisim appendentes, qui tamen uersus orientem croceo colore, quasi solem imitantes distinguuntur. Præterea ipsum solare corpus corona, siue halone, instar iridis, in colore circundatum est, utro'q; latere Solis imagines puniceo colore annexas habens, à quibus imaginibus, siue duobus solibus duo semicirculi ad similitudinem arcuum per transuersum sese incidentes exurgunt, ac tandem more halonum extensi euanescunt. Circa umbilicum, uel centrum amplissimi circuli, iris est obuersa, quæ in tenui nube splendet. Deinde etiam iridi in colore, situ'q; contraria alia apparet iris subnigra. Postmodum uersus meridiem per amplissimum circulum transuersa iris eadem, & subfusca protenditur, colore semper uariato, quemadmodum fieri solet in arcu, siue iride cœlesti. Hi tamen circuli siue halones uix ultra duas horas cum dimidia durant, semper habentes, uel sui natura, uel alia quauis secreta ratione, pessimos proximos secuturi temporis euentus: uidelicet portentosa tonitrua, atque fulmina, quæ ædes, & iumenta prosternunt, captiuitates, & occisiones tam nobilium, quàm plebeiorum ac incolarum, rapinas præterea, hostiles classes, piratarum

Circulorũ mirabiliũ, quæ apparẽt sępè sub septentrione descriptio, & significata.

Sol duplicatus cũ circulis, de quo etiam infrà tractat sub signo Solis.

gras-

grassationes, & incendia: imò ad finem ueris circulis euanescentibus, pluere solent sulphurea grana cum uapore fœtido, mox quæ sequuntur horrenda tonitrua, ut contremiscere faciant audientes, rapidaq; flumina plus solito niuium resolutione excitata, omnia suo cursu obruant ac dispergant, prout alibi latiùs de natura septentrionalium fluminum ostendetur. Asserit Plinius, circulos repentinos rubei coloris plurimum esse prodigiosos: bella etenim præsagiunt ob longiorem Solis defectum & continuum pallorem. Stellarum errantium aliquam, si circuli aut orbes incluserint, imbrem præsagiunt. Cæterûm quomodo aut quibus rationibus fiant huiusmodi circuli, siue coronæ circa Solem, aut reliqua sydera, Seneca docuit inter alia, dicens: Hæ uerò coronæ cũ æqualiter delapsæ sunt, & in semet euanuerunt, significatur aëris tranquillitas: cùm autẽ ad unam partẽ ruptæ cesserint, illinc uentus est: unde & nautæ inde uentũ expectant, quando contextus coronæ perit. Si à Septentrione discedit, aquilo erit. Si ab occidente, Fauonius. Si uerò pluribus locis ruptæ sint, tempestates fiunt. Et noctibus quidem præcipuè circa lunam, & cæteras stellas, hæ coronæ notantur: interdiu uerò rarò, quia Solis lumen fortius est, ut aër coagitatus, ab eo calefactus, subtilior, & solutior sit, lunæ autem inferioris, ideoq; facilius circũposito aëre sustinetur. Cætera quoq; sidera infirma sunt, nec aërea ui sua perrumpere possunt. Illorum itaque imago suscipitur, & in materia solidiore, minusq; cedente seruatur. Debet enim aër esse non tam spissus, ut lumen ad se immissum excludat, atque submoueat: nec tam tenuis ac solutus, ut nullam uenientibus radijs moram præbeat. Et hoc noctibus temperatioribus contingit, cùm sydera circumiectum aërem à luce leui non pugnaciter, nec asperè feriunt,

Lib. 2. cap. 50.

Lib. 6. Naturaliũ quæstionum.

riunt, spissiorem q̃ quàm esse solet interdiu inficiunt. Et rursus circuli, siue coronæ figuris similibus, certis annis, tempore uernali apparere solent, præsertim quando densioribus niuibus tegitur superficies terræ hoc modo: quod amplè per orizontem circulus unus apparet, nubibus totaliter albus, alter uerò interior penes eum densiore amplitudine niger. Qui quidem circuli maximi in superficie quatuor habent lineas, siue hiatus rotundos croceo colore distinctos, inter quos uersus meridiem in nubibus candidis, quæ niuibus sunt repletæ, apparent duo circuli contrario modo dispositi: quorum unus in exteriori latere est atri coloris, in interiori uerò candidi. Alter autem circulus inferior, in cuius centro apparet solare corpus (in quod superior circulus eccentricus incidit) est exterius albus, atque interius fuscus, eò tamen candidior, quò soli proximior. Præterea in opposito Solis circa centrum maximi circuli per orizontem (ut dictum est) effusi arcus apparet situ transuerso, colores habens instar iridis in nubibus densis, subruffum exteriorem, medium puniceum, seu croceum ac uiridem inferiorem, magis q̃ his omnes circuli inter auroram, & meridiem nubibus auctis apparent, uix una cum dimidia, aut duabus horis duraturi, quia Sol illicò nubibus rarescentibus clarescit, & horrendum frigus adducit, aut nubibus densatis importabilem niuium molem (dum pluribus diebus splendere nequit) naturæ potentia in omnia subiecta loca descendere sinit, quia inusitata magnitudine, & specie nubes interdum candidæ, interdum atræ & maculosæ ascendunt: quemadmodum scaturigines aquarum, & uaporum unde exhalant, materiam administrant. Neque otiosum pauco pòst tempore deprehenditur, quod portentosis huiusmodi casibus fuerat demonstratum. Surgit enim

Circulorũ alterius generis descriptio.

nim in aëre mira contrarietas huiusmodi uaporum, siue nubium sic eleuatarum: mutua uiolentia sese impugnantium, atque eo modo terribiles cometæ, qui (Isidoro teste) famem, bellum, & trucces uentos significant: uersus Septentrionem tanquam aërem pinguiorem emergunt, qui non minùs homines in stuporem suo horrore trahunt, quàm circuli supradicti. Generantur, & alij circuli albi, ampli ac densi, iridem includentes cum coloribus suis, supposito circulo fusco, qui omnes reflexu atrarum nubium, & albedine densissimæ niuis, faciem terræ totaliter cooperientis, præsertim mense Februario ac Martio, ob Solis elongationem & obliquitatem uidentur. Effectus autem eorum parumper à superioribus differẽtes retinent, nisi quòd atriores nubes inferioris circuli, uehementiores imminere præsagiunt tempestates. Hanc q̃ causam etiam maritimæ aues rapaces è mari ad campos fugientes, incessabili garritu præsagire, signare q̃ uidentur. Sed hæ, similes q̃ tempestates (ut superiùs de turbine dictum est) non diu durant: quantò namque sunt impetu uehementiores, tantò durabilitate breuiores. Est q̃ notandum, quòd Solis lumen caligine obsessum, quandoque maiori anni temporis spatio pallens globus, & sine splendore oriens imbecillem ac tenuem ex se calorem emittit. Quare grauis ac dispartientis imbecillitate caloris obscurus aër, semicoctos ædit fructus immaturos, & imperfecto flore collabentes. Tantum aëri frigus ingerit, ut pauerdæ exinde sequi uideantur sterilitates: eo q̃ hæc, & similia horribiliora euenint, quò circuli latiores extra orbem solarem in atrioribus nimbis, nubibus q̃ conspiciuntur. Accidit etiam siue hac, siue alia causa dirarum exhalationum, ut ingentia arborũ robora in nemoribus deijciantur, intumescant ultra solitum

Circulorũ tertij generis historia.

tum alueum flumina, rumpantur aggeres, infinita hominum iumentorumq́ multitudo interimatur: casuq́ profundissimarum niuium inuia reddantur itinera, geluq́ intolerabili superueniente, uiatores nec antrorsus, nec retrorsum euadere cupientes, nec ualentes, repentina miseria interciapiantur. Contingunt præterea circa Solis ortum atq́ occasum, similiter etiam Lunæ, soles gemini, aut tergemini Lunæ'ue similiter: quæ cùm ubiq́, maximè tamen in his regionibus splendidi ac diuturni frequenterq́ apparent. Horum igitur omnium causa, ut breui rem repetam, ut ad naturam refertur, ob crassitiem exhalationis & luminis uarietatem est. Niues enim (ut nunc ego de his disseram, nanq́ superior prima enarratio, quæq́ sæpe contingunt in borealibus regionibus docet, parũ ab historia nostra de triplici sole differt, ut sit quasi mixta) multiplex lumen & magnum reddunt, ipsumq́ aërem uaporibus crassis admodum replent. Ita fit ut ex duobus his & frequentes, & uariæ, & admirabiles uisiones in aëre cernantur atque appareant. Ergo & uersa uice cùm talia apparuerint, aërem uaporibus repletum, etiam in medijs, calidioribusq́ regionibus ostendent. At aëre condensato multiplicíq́ uapore referto, pluuiæ magnæ, tum etiam frigora, aut morbi succedere solent. Vt omnium horum ratio sit manifesta. Idem quoq́ narrat persæpe eadem nocte niuem cadere decem, aut quindecim modis uariatam, ut modò crucis, modò stellæ, modò floris, aut rosæ, aut lilij, aut scorpij, uel muscæ, imaginem quandam referat. Vnde solent homines otiosi uel pueri uitreas æstuariorum fenestras ea uarietate pulchrè depingere. Mirum sanè est ut quæ noctis prima hora cadat, tota crucis imaginem, exempli causa, quæ secunda stellæ, quæ tertia lilij, atq́ ita de singulis referat. Significata horum dicta sunt, si

Causa multiplicis solis Lunæ tũ circulorum mirabiliũ.

quis fortuitam causam, naturalemq; amplecti ac in portentum transferre uelit. Porrò unde fiat, non adeò planè perspicuum. Sed uidentur omnia ex uaporis crassitie procedere: propterea neque semper apparent. Vt enim cera formatur, aqua non formatur, ita contingit de uapore crasso aut liquido. Formatur autem à uentis, ut etiam in illis, uelut in floribus ac papilionibus, ex uno multa prodeunt. Et ex generalibus causis singularia, quemadmodum in ultimo libro de Subtilitate dictum est.

Nix uaria figura cadēs.

Contingunt & ibidem grandines immensæ magnitudinis, capite hominis quandoq; non minores. Quod ex uaporum rursus tenaci crassitie prouenit. Atq; ut rarius grandines, & à difficiliori causa in illis regionibus quàm in Italia, uelut etiam hyeme quàm æstate proueniunt: ita maiora mala portendere creduntur quàm apud nos. Existimat autem illas significare cædem ac stragem.

OSTENTA QVÆ IN AQVIS.
CAPVT LXXI.

Procellarū præsagia.

INTER ostenta aquarū referri potest quod me præsente accidit in Patauino agro anno M.D.XXXI, nocte, quæ sexta decimam diem Decembris subsecuta est: & Mediolani anno M.D.XXXIII. die undecima mēsis eiusdē: nā tā immensa grādo, tā crebra fulgura atq; tonitrua sæuierūt, ut homines quasi amētes tum metu, tum superstitione discurrerent. Maius tamē fuit prodigium Paduæ, quàm Mediolani. Hæc autem bellorū metus ac nouorum uectigalium damna portendunt: si nullum aliud terribilius signum adiungatur. Non enim talia præter naturam sunt, sed solùm extra temporis conditionem.

Inunda-

Inundationes maris ac fluminũ eadem ratione scilicet, cũm præter naturam quasi fuerint, populorum & gentium hostilium aduentum prænuntiant: aquæ enim multæ, multi populi. Et si agros obruant, deprædabuntur finitima, & agros ipsos, si mœnia sternant, dirum est. Multitudo quoque aquarum generaliter morbos portendit, ut etiam medici affirmant. Fluuiorum & fontium salubriorum exortus nouus, gratiam & gentem meliorẽ ac mores futuros prænuntiat: quod accidisse Augusti tempore alibi testati sumus, cũ in Ciceronis laudem traheretur, longam enim quæ postmodum subsecuta est pacem præmonstrauit. At è diuerso aquas perniciosas & fœdas nasci, tyrannidem declarat: arescere uerò fontes & amnes præter solitum, inopiam & diram necessitatem minatur. Inundationes quid significẽt.

OSTENTA TERRÆ.

CAPVT LXXII.

VIDIMVS anno M.D.X. cum cecidissent è cœlo lapides circiter M. C C. in agrum fluuio Abduæ cõterminum, ex his unum C X X pondo, alium sexaginta delati fuerunt ad regis Gallorum satrapas pro miraculo, plurimi: colos ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus: præcesserat in cœlo ignis ingens hora tertia: decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus. Vt mirum sit horis duabus tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra uigiti menses pulsi Galli. Triennio pòst reuersi, uaria prius fortuna, inde iterum pulsi, ad excidium profligati. Vrbs nostra in cuius finibus ceciderant lapides, uectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam aliàs uexata grauius. Lapides è cœlo.

Specus qd portendãt.

Sunt inter terræ ostenta uoragines, & specus nouiter nati, qui certè malum portendunt & faciunt. Referunt Curtiũ in uoraginem iuxta Romã inferis deuotum se præcipitasse, terramq; coaluisse: quod propius fabulæ esse reor, quàm historiæ, propter euentum: nam scindi terram ex flatu, & maximas indicare seditiones, haud dubium est.

Terræmotus quid significent.

Terræmotus magni, bellum aut pestem nuntiant, uel tyrannicam oppressionem. Efficiunt & segetum inopiam & & famem. At ipsi quandoq; nihil minantur amplius mali, dirutis urbibus ac pagis, mortalibusq; qui in eis habitabãt oppressis.

Insularũ ortus quid decernat.

Quòd si insulæ in fluminibus nascantur, haud prodigiosum esse debet, ob frequentiam casus: in mari uerò noua decernit imperia, nouasq; leges, longo post tempore hæc accidunt, quod horum ortus sensim fiat.

Montiũ ortus quid declaret futurum.

Montes quoque principes declarant: supereminent enim cæteris, neque unum declarant, diu enim manent, sed stirpem nouam, quæ & ipsa diu perseuerare potest: ob id steriles & infrugiferi tyrannos: at culti, molles: & sensim accliues, utiles, iustos, atque modestos: durus tamen est horum omnium principatus, quod montes ex lapidibus constent: at si molles ex terra emerserint, molliores dominos, sed diuisum imperium. Stultum est autem magnos effectus absq; magnis causis fieri posse credere. Et si magnæ sint causæ, etiam ab his inter homines magni effectus prouenient. Et à diuturnis diuturni, & à feris atq; sæuis sæui atq; diri, atq; eadem ratione in alijs. Hæc uerò ut ignota antiquis fuêre, in cacodæmonas frustrà translata sunt: atq; ex his in superstitionem: unde uanitatis opinio exorta est, interdictumq; disciplinæ: uelut si quis in uehementibus caloribus ac siccitatibus prædiceret morbos acutos & famem.

OSTEN-

OSTENTA PLANTARVM.

CAPVT LXXIII.

PLANTARVM ostenta iuxta naturam illarũ sunt: si exarescant, mortem, & maximè uitis, quod cum uita affinitatem habeat, sitq; hominum usui saluberrima. Sic & ficus: συκὴ enim & σύκιν & inutilis, & infirmus. Est etiã quod ad rem magis attinet, fructus suauissimus, uitæ autem similis ob hoc: & planta ipsa, ætati hominis æqualis. Adnata palma Trallis in Lydia in templo Victoriæ, ubi Cæsaris statua erat dedicata, uictoriam illi portendit, iuxta naturam arboris: nam palma ut contra nititur ponderibus, ita uictoria quò magis cruenta, eò illustrior. Sic & Augusto enata palma ante domũ suam. Laurus possessionẽ pacificam, quod ea coronari solerẽt triumphantes, ideo etiam gloriã partæ uictoriæ significat: coronantur & poëtæ, quod pulcherrima in Parnasso laurus exoriatur, ubi Apollo poëtarum patronus habitare fingebatur ob templum. Myrtea & ipsa uictoriæ indicium, quod olim ouantibus dabatur: & antè, lauream etiam triumphantibus. Et cùm bene oleat, tota arbos numinis afflatum indicat: unde Veneri dicata planta. Ciuica ex querna fronde fiebat: & obsidionalis è gramine, quæ non ab imperatore ut cæteræ, sed à toto exercitu concedebatur. Gramen eligebatur quod circa muros obsessarum urbium nasci soleat. Apio mortui, & cyparisso domus funestæ coronari solebant. Sisymbrio aut asparago, uerbenáq; coronabantur sponsæ admixtis floribus: ob hoc uel eius potius causam lætum auspicium. Erant & murales, & rostratæ seu nauales castrensesq; coronæ, sed non ex plantis discrimen. Ad rem redeo.

Plantarum præsagia quomodo ducenda.

Coronarũ differentiæ.

Ilex robur & principatum significat, ob ligni duritiem, & uitæ diuturnitatem. Ob id Octauianus Augustus, illius uetustæ confirmatione admodum lætatus est. Sic & Vespasianus restituta quercu. Cùm nascuntur, nouã rem significant: cùm restituuntur, uel deciduæ, uel arescentes, maiore prodigio sunt, ut magis contra naturam: nam in omnibus his obseruare oportet, ut quæ contingunt, omninò præter naturam existimari possint: nam si naturales euentus pro ostentis habueris, ridiculus fies & inanis. Si ergo concidat repentè quæ unica est, & absq; causa, non solùm exitium, sed fortunarum & familiæ ruinam portẽdit. In alijs uerò totus lucus aut lauretum si arescat, pro prodigio habendum: sed si fulmine percussæ pereant arbores, non est prodigij loco habendum, modò uel quicquam peculiare cum domino non habeat, uel ipse ictus fuerit prodigiosus. Id uidetur insinuare Virgilius, dicens:

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Hæc igitur ut naturalia, ut cũ ratione, ut pauca ex innumeris, nõ ut portenta dæmonũ (hæc enim inania) sunt animaduertenda. Eorumq; exemplo cætera condiscere licet.

OSTENTA QVÆ IN AGRESTIBVS ANIMALIBVS. CAP. LXXIIII.

OMNIA animalia hoc nomine, ut etiam aues atq; pisces & serpentes comprehẽdi uolo. Itaq; plura horum tametsi prodigiosa uideãtur, naturalia tamẽ omnia sunt. Sed ut à naturæ legibus, non quidẽ omnibus (nihil enim fermè tale) sed consuetis aberrant, ita mirabilia & ob id prodigiosa uidentur, Vt cornix alba, quod etiam

Cornix alba.

etiam in prouerbium uenit, quæ tamen Rhodigino uisa est post templum peruetustũ beatæ Virginis, quod ab urbe distat stadio: ipsa autem cornix post templum uisa est tãtundem ab illo distans, quantũ ab urbe templum: nec semel uisa, sed plurimum mensium spatio. Id autem contigit anno M. D. VIII. ut ex euentu colligitur. Nam præcessisse cladẽ illam grauem Venetorum, narrat Cœlius Rhodiginus: & illam etiam ut nouum quoddam prodigium significasse. Erat autem non prorsus alba, sed quasi liuens: nec tota, sed nigro, ut aliæ capite, & apicibus alarum ad rubedinem declinantibus.

Coruum quoq; candido nitore conspicuũ, misit rex Britanniæ Alphonso Siciliæ regi, temporib. Calisti pontificis magni. Horum uerò causam alibi diximus. Nec desperandum arte naturam iuuante, posse tales inueniri. Nunc uerò ad alia transeamus. Cũm iam istud præter propositum, ac magis pertineat ad tractationẽ de monstrosis animalibus. Corui albi.

Apes igitur locis insuetis aluearia cõdentes, amissionẽ partorũ & exitiũ ostendunt. Quòd hæc animalia ubi sibi mel & ceram congregauerint, soleant fumo necari, aut exigi ui ac metu strepentis serri. Id prodigium contigit olim Barbationi peditum duci, Constantis tempore. Nec perperã, cũm leuissima causa atq; omninò præter propositũ iudicio damnatus aliena culpa, uita & bonis simul exutus sit. Apes aluearia condentes quid significent.

Cũm Valentinianus Imperator in Sabaria urbe esset, noctua super cacumẽ balnei sedit, mœstum & lugubre canens: aderat ipse Imperator: ob id non desuêre qui saxis & sagittis illam impetrent: & quamuis collimarent, non potuerunt illam unquam abigere. Itaq; paulò pòst, uixq; una intermissa die, repentè interijt. Affuêre & alia signa, sed communia: hoc uerò euidentissimum. Noctua canens.

Caput solũ baleuæ.

Ni fallimur, audiuimus à familiari nostro iam duobus annis exactis, Genuæ caput balenæ extractum à mari, in littore diu iacuisse: quod adeò prægrande fuit, ut à fauciũ imo ad os decemnouem passus numerarentur. Quid aliud hoc est, quàm quod cyrna amissa, significabatur caput amisso corpore remansurum. Nam Genua capitis & dominij ratione, & paruitatis uicem subit, cyrna corporis. Id ostentum cùm post annum contigerit, si interpretati tempestiuè fuissent, aduersus Turcicam classem arces munire poterant: unde neq; insula ipsis, neque tantum pecuniarum perijsset. nunc hoc facto, tota Europa in metu constituta est, atq; etiam in periculo. Vt igitur omina superstitionis partes sunt, ita ostenta cum naturali prudentia coniuncta, ad conseruandam rem publicam utilissima cura obseruãtur. Neq; enim tantæ belluæ caput abscindi, uel à maiore bellua potuit, nec tormento bellico, nec ullo alio casu. Sed si modò ea casu aliquo, aut impulsu occisa simul, & contorto collo computrescente corpore relictum caput, quónam pacto caput ipsum non prius computruit? aut quomodo collum abrumpi potuit, quod in cetaceo genere maius non parum est capite, adeò ut pisces collo carere dicantur. Demum in tam uastis litoribus quænám singularis uis caput Genuam adegit? nisi conscia quædam fati mens, opportunè pro casibus singula signa distribuens?

Murium copia maxima.

Quòd uerò contingit in Peru regione, miraculò proximum est: nam cùm ibi nulli mures essent, sub aduentu Blasci Nunnez repentè tanta copia illorum apparuit, ut maizum, cannas, arbores, cæteráq; sata corroderent: molestia Hispanos, terrore Indos afficiebant. Forsan mures inter cicures quis numerabit, sed agrestes sunt maximè qui in agris uersantur. Apparuerunt & locustæ inusitatum malum

illã

illi regioni, ne forsan aliquis de muribus contendat aduectos naui, inde multiplicatos. Sed dirum fuit prodigium: nanq; acerbitate eius ducis, & auaritia senatus, tyrannide uerò Alonsi Pizarri, factum est ut infinita prælia inter Hispanos facta sint, direptiones urbium, rapinæ, cædes sine fide, tum desolatio ingens totius prouinciæ. Indi bello, fame, laboribus, ad internicionem fermè deleti. Ergò horum, secundùm naturam, non tanquam à dæmone, causas exquirere oportet, ac immimentibus prouidere.

Referunt (sed id non uidi) in agro Alexandrino anno M.D.XXXV. post prodigiosam grandinem, nouum quodam auium genus apparuisse. Nec certè absq; euentu correspondente. Nanq; tot modis misera illa ciuitas uexata est, tot genera barbarorum experta est, uiditq; incognitos nobis Iaziges Metanæstas: nec adhuc etim iam uigesimus annus finem accipiat, spes ulla mitioris fortunæ refulget. Aues nouæ.

OSTENTA QVÆ IN CICVRIBVS. CAP. LXXV.

CVM sub Ctesiphonte esset Iulianus Imperator, uicisset'que leui prælio Persas MMD. Eorum occiderãt Romanorum ad LXX. uolens Marti ob uictoriam sacrificare, è decem tauris quos destinauerat cædi, ultrò antequam ad aras peruenirent nouem extincti sunt: decimus fractis funibus uix captus & deductus est ad sacrificium: ibi moriens multa mala prodigia ostendit: nec falso: fame enim exercitus consumptus: pugnando Imperator occisus, pax fœda & turpis proditis ciuitatibus, quæ nunquam iuri Persarum cesserant. Nouem tauri sponte mor- Taurorum mors spontina quid ostenderit.

te mortui, exercitum fame & morbo maxima ex parte consumendum declarabant. Decimus autem fugiens, exercitũ succumbere: captus & moriens infausto omine mortẽ principis. Quæcunq; enim præter naturã uidentur, non ad inane omen, & dæmonum artes, sed ad impendentia, quasi naturæ ordine æterno, sunt referenda. Vt enim uideatur, liceat dæmones authores facere: ut sit, non licet: præsertim si dominum Deum recta fide excolueris.

Asinus rugiens super tribunali.

Cùm Pistoriæ asinus hora tertia diei super tribunal ascendisset præsente turba rudens uehementer, contigit, ut Terentius quidam pistor, quòd accusasset præfectum eius prouinciæ furti, factus est præfectus, cùm etiam esset ignobilis: qui paulò pòst publicè ob flagitia pœnas dedit.

Equi lachrymantes.

Ante Cæsaris mortem ad Rubiconem equi consecrati ab eo flebant, idq; magno augurio exceptum est: sed in domo, asturco meus Scotus fleuit sæpius ubertim, nec causam cognoscere possum, lachrymæ excidebant palam. Hoc autem æstate maximè accidit: nihil enim sinistri mihi cõtigit. Constat, naturam esse equorum aut morbum.

Felium mira.

Stephanus Cardanus uir octuagenarius, felem masculum educabat, habebatq; ut fermè solent senes eiusmodi in delicijs: cùm ægrotaret ad mortem, iamq; animam ageret eo strepitu quo plerique morituri solent, felis è gradu se erexit in spondam duobus pedibus, inspiciensq; diu laborantẽ dominum, tandem ædito clamore ingenti abijt, nec postea unquam uisus est. Simile fermè quippiam audiui de lanio, qui felem paruum ac scabiosum misertus educauit, quasi nolente uxore, quod fœdus nimium uideretur, dormiebat hic inter uirum & uxorem: contigit quandoque ut ungues inter mammas uxoris teneret, lædebatq; eam: tum illa, ut mulieres solent (inquit) lædis me: at felem, referunt, non

de more

de more ungues contraxisse, sed pedes uertisse, ut qua pilus esset, illius carnem contangeret: coniunx ut hoc uidit, quasi territus, dixit, Videtur hoc animal habere animam aliquam humanam: nam & multa magni sensus, sed non tam euidentia signa, ædiderat, inter quæ domino uenienti descendens è scala semper obuiam ibat. Paucis pòst diebus quàm hoc acciderat, ægrotauit uxor lanij & mortua est, tumq; felis quamuis diligenter quæsitus, nusquam comparuit. Aut ergo in tanta multitudine, uelut alearum miri iactus, talia contingunt: uel, ut in hominibus, quædam animalia excellunt inter reliqua sui generis: aut à cœlo id habent: uel casu quodam occiderunt sub dominorum morte: aut lumen aliquod recipiũt ab aëreis potestatibus: nisi quis uelit dæmonas, ut de suibus narrat Euangelium, in bruta animalia quodam diuino iudicio ingredi. Sed ut animaliũ domestiçorum portenta in corpore fausta sunt plerunque, ita animorum infelicia.

Portenta animaliũ domesticorũ quid referant.

Vidimus anno M. D. XL. uitulum bicipitem singulo capitum perfecto, lingua, dentibus, naribus, oculis, auribus, iuncta erant in occipitio. Capita quorum unum masculi rotundum, alterum fœminæ oblongum, speciem diuersi sexus præ se ferebant. Animal uitula erat exenteratum, ac ex matre excisum: occisa quod diutiùs partum traheret, quàm ut seruari posset. Superuixit, ut referebant, fœtus dimidio horæ: erat in caupona Canceri. Translatum est regnũ ad Cæsaris filium qui uxorem habet, multisq; incommodis à Gallis acceptis: quia uitulus laborem significet, & sexus, multorum ducum infœlicitatem & fugam, atque amissas absque expugnatione urbes, & arces prouinciamq; absq; prælio.

Vitulus bicepps.

OSTEN.

OSTENTA QVÆ IN HOMINIBVS. CAP. LXXVI.

Infœlicitatis imminẽtis maximũ signum.

NON est solùm ostentum quod in corporibus hominum, aut cæterorum animantium apparet, sed etiam quod in animis. Tagetes Hetruscus scripsit, eos quibus maximum immmet infortuniũ adeò obstupescere, ut nec Iouem tonantem sint audituri. Id uerò singulis diebus experimur. Neque enim maius est signum imminentis alicuius maximæ calamitatis, quàm quasi deprehensos iacere. Huius causam in Problematibus exposuimus. Neq; enim ob scelera id solùm contingit, cùm multi scelerati euadant etiam præter spem. Nec ob timorem, cùm multi alioquin sint, & fortes, & audaces. Sed contingit id quoties pereundum est: quasi urgente fato. Vnum satis cõstat, hoc & signum esse, & sæpius causam etiam subministrare imminenti exitio.

Vir à publico supplicio seruatus.

Vidimus & hominẽ qui anno M. D. X L, damnatus pœna capitali, bisq; claua percussus cadente etiam succula, seruatus est coram populo oppidi Castrinoui prouinciæ Turonensis. Prædixerat hoc futurum antequam duceretur, astansq; supplicio, ab ea die quæ uigesima octaua fuit Nouembris, peregrinatus est ex uoto saucius, tamen paululum euasit. Fertur & hoc Carauagij accidisse iam circiter ab hinc annis triginta: depicta ibi res est, & ad beatam Virginem tantum prodigium refertur. Ego uerò de hoc dicam quid sentiam: prior cùm uulneratus esset, ostendit se minimè opera diuina seruatum: sed cùm iamdiu nemo securi percussus esset, falx æruginẽ contraxerat, carnifex minimè expertus, ipse qui plectebatur confidens & robustus, ac partibus

tibus loci more defensus. Alius etiã Cremonæ à suspendio euasit, fractis laqueis. Clarum hoc est, indicium impotentiæ principum: hæc enim sunt illorum iussa, quibus satraps aduersatur. Si enim iniustè damnatus liberatur, coarguuntur iniustitiæ magistratus: si iustè, iustitiæ administratio prohibetur. Si dolo res agitur, & maioribus sceleribus atq; flagitijs, damnisq; reipublicæ locus est. Cõstat tamen quendam bis suspensum, seruatum, miraculi specie: inde cùm tertiò iudicis solertia perijsset inuẽtam osseam asperam arteriam. Alius cùm fracto laqueo bis cecidisset, tertiò statim suspensus perijt, quod laqueus maior & firmior esset. Ergo citra miraculum, multis modis, & natura, & casu, atq; dolo, talia contingunt.

Vir asperam arteriam osseã habens.

Annis ab hinc duobus contingit, ut in orphanotrophio Romæ omnes puellæ (erãt aũt, ut audio, circiter septuaginta) nocte una factæ sint dæmoniacæ: nec ulla usq; nunc, cũ iam exacti sint duo anni, curari potuit. Causa igitur ex halitu loci proueniri potest, aut ex aqua: aqua enim pilos & humores mutat: potest & esse dolus. Agnosco nunc uirum, qui puer per sex & amplius annos, dæmonẽ se uidere simulauit, tum ut liberius uiueret, tum ut homines in sui admirationẽ traheret: atq; etiam sic effreni uoluptati operã daret. Multa contingunt in hominibus. Sed si quis obfirmato animo secum reputet talia omnia esse uana, & dolis plena, facile subolebit fucus. At dæmone corripi seu insanire, qs uanum non esse dubitat? utinam esset. Si ergo hoc absq; fuco contigit. futurorum temporum, & Antistitum improbitatem declarat: nam sicut innoxia ætas in pessimum exemplum trãsijt, ita qui præesse debent religioni, in improbum sensum tradentur. Vnde non solùm execrãdi explodentur, & irridebuntur, sed etiam damnabuntur.

Puellę factę dæmoniacæ.

OSTEN-

OSTENTA QVÆ IN PARTVBVS. CAP. LXXVII.

Infans cum duplici ore, quid significet.

CONSTANTII tempore natus infans duplici ore, duobus dentib. quatuor oculis, duabus exiguis auribus, barbaq;. Inquit Ammianus, mutationē reipublicæ in deterius significasse: eoq; præsertim quod nō expiatū sit hoc prodigiū. Natū aūt est in Daphne urbe regionis Antiochiæ. Quot uno uerbo admisit errores hic uir? Primū quòd pòst successit Iulianus, quem optimum ille imperatorem fuisse affirmat, longeq; Constātio meliorem. Deinde, quid Romanis profuerunt tot expiationes, cū prodigijs moniti Cæsari succubuerunt amissa libertate? Quòd si futurū est malū, quomodo expiabitur? Si nō, quid opus est expiatione? Alij ex aduerso insurgūt: nullā his fidē adhibendā, quod dæmonis sit præstigiū? An dæmon potest formā humanā mutare? Si sic, delebit eam: si Dei permissione, igitur Dei est hoc factum, nō dæmonis. Deus enim nihil per se facit. Agūt omnia illius ministri, angeli, natura, cœlū, etsi aliquid aliud est: hoc totū tamen Deus agit. Demonstrabimus aūt inferius, dæmonem nihil agere corpulētum. Quòd si dæmonis factū non est: neq; interpretatio sed naturalis: ut etiā generatio. At Moyses prohibet talia animad uertere. Multa dicit, Dominus concessit ad emolliendā duritiē cordis Iudæorū: ita multa prohibuit, ne in idolorū cultum, in quē Aegyptiorū consuetudine proni erant, ruerent. Significauit igitur hoc monstrum, duplicem imperatorem: quòd factū est Iuliano Augusti autoritatē usurpante. Nam quadruplices oculi, duplicem prospectum, duplicia ora, duplicem linguā quæ imperat. Duo dentes atrocitatem & pugnam,

gnam, ut contentio ultra uerba progrederetur. Barba, dolosum & uafrum eum qui sequeretur, & qui arriperet, ac bellicosum. Cũm enim homo barbam emittit, fit fortior, prudentior, & dolosus magis. Aures paruæ significant paruum robur. Atq; ita breui apud Persas succubuit. Significant & paruæ aures sagacem & discretũ, ut equi, in comparatione ad asinos, & simiæ pro molis corpore. Cæterũ partus monstrosi ob id significãt mala, ut cruda urina in morbis. Nam naturã aliò intentam esse, & à recta uia aberrare demonstrant: quoniã in tam nobili opere nisi destituatur, aberrare non potest. Sic infante nato in Britannia, cuius genitalia genitalibus inserta erant, crura commixta ut in duo redirent, cætera duorum, caput, brachia, uenter, atq; ex aduerso positi, mortem regis, mutationemq; regni, & sororis successionem ostenderunt. Anno M.D.XLIIII. mense Ianuario, nata est puella biceps, reliqua autem omnia unum corpus referebant: nam bina crura, bina brachia, uulua una, sed tamen cùm amicus noster Gabriel Cuneus chirurgus, discipulusq; meus, eam me absente dissecuisset, primo quidem gulam interiorem (sunt qui meri uocant) ac cum eo uentriculum inuenit geminatũ, sed tamen in fundo coibant: ibi pylorus unus, attamẽ ex eo intestina gemina exoriebantur: ut uterq; ordo duplicatus esset illorum præter quàm in recto: nam in illo rursus in unũ coibant: sicq; ad anum finiebatur. Erant autem feces in ambobus, pulmones gemini uisebantur, atque hi nulla ex parte in unum coibant. Cor paulò altius quàm in alijs esse solet, υ literam Græcam referens: bifidam scilicet, sed tamen in una sede. An uterq; uentriculus superior in eo esset, haud explorauit: iecur crassum ualde oblongũ, sed absq; penulis seu additamentis, atq; ideo informe: spina dorsi duplicata, distabatq; una ab altera digiti magnitu-

Partus monstrosi cur significent.

Infans duplici corpore ad genitalia usque quid significet.

Puella biceps.

magnitudine, unaquæq; suo inseruiẽs capiti, & usq; ad crus quod sibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores anteriores quatuor, superiores autẽ duos tantũ sed magnos, uerũ inferiorib. duriores, ac paulò solidiores: sed tamẽ qui nec ipsi dentis exquisitã præferrent duritiẽ habuit: renes duplicati, uterus & uesica minimè. Orta est mense nono, & absoluta, ac etiam corpulenta. Verũm in ipso ortu, ob errorem obtorto collo unius ab obstetrice, idem dies eademq; hora fuit qua tenebras mortis & uitæ huius lucẽ experta est. Manifestum est igitur idem in his cõtingere quod in fructibus: duas tentauit natura creare puellas: in ipso exortu principalium membrorum collisa atq; constricta sunt omnia præter caput, omnia igitur principalia præter cerebrum in unum coiuerunt, fuerunt tamen potentia duo: quæ autem posterius creata sunt, uelut uterus brachia, et extrema, ab uno tantùm principio & tanquã in uno fœtu sunt absoluta. Ergo cerebrum prius creatur inter omnia, nõ cor, quemadmodum dicit Aristoteles: aut simul cum alijs, ut Galenus censet: nam plures bicipites infantes uidere contingit: qui autem geminum corpus habeant, atque unum caput, non ita. Atq; hæc infausta, & (ut dixi superius) ad fœmineos mores, ac successus ducum pertinent: hæc quidem mollia: masculorum, crudelia: utraq; infausta.

Infans ex cane & muliere.

Refert Volaterranus, natũ ex cane & muliere infantem forma humana in superiore parte: atq; expiationis causa ad Pontificẽ delatum. Id uerò mirũ est, nimis dissentientib. inter se genitalibus, tum forma totius, & pariendi tempore. Itaq; satis de hoc an contingere possit, dubito. Sed tamẽ cũm uideamus ui stellarum sola id contingere, quid prohibet, ne etiam cum seminis alieni auxilio id fiat? Diximus autem & de hoc alibi.

HIERO-